

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Terentius,|| A` M. Antonio Mvreto|| locis prope
innumerabilibus|| emendatus.||**

Terentius Afer, Publius

Venetiis, 1558 [erschieden] 1559

Scena IIII.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-723936](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-723936)

Py. Bene æpol narras : nam illi faueo uirgini.
 Ite intro : iam dudum hera uos expectat domi.
 Virum bonum eccum Parmenonem incedere
 Video : uide , ut ociosus sit , si dijs placet .
 Spero me habere , qui hunc meo excruciem modo .
 Ibo intro , de cognitione ut certum sciam :
 Post exhibo , atque hunc perterrebo sacrilegum .

ACTVS QVINTI SCENA IIII.

PARMENO, PYTHIAS.

Pa. Euiso , quidnam Chærea hic rerum gerat.
 r quòd si astu rem tractauit , dij uostrâ fidem,
 Quantam , & quàm ueram laudem capiet
 Parmeno ?

Nam ut omittam , quòd ei amorem difficillimum , &
 Carissimum ab meretrice auara : uirginem
 Quam amabat , eam confeci sine molestia ,
 Sine sumptu , sine dispendio . tum hoc alterum ,
 Id uero est , quod ego mihi puto palmarium ,
 Me repperisse , quo modo adolescentulus
 Meretricum ingenia & mores posset noscere ;
 Mature ut cum cognorit , perpetuo oderit .
 Quæ dum foris sunt , nihil uidetur mundius ,
 Nec magis compositum quicquam , nec magis elegans :
 Quæ , cum amatore suo cum cenant , ligurriunt .
 Harum uidere ingluuiem , sordes , inopiam ,
 Quàm inhonestæ solæ sint domi , atque auidæ cibi ,
 Quo pacto ex iure hesterno panem atrum uorent .

G Nosse

E V N V C H V S

Nosse omnia hæc, salus est adolescentulis.
 Py. Ego pol te pro istis dictis & factis, scelus,
 vlciscar; ut ne impune in nos illuseris.

ACTVS QVINTI SCENA V.

PYTHIAS, PARMENO.

Py. Ro deum fidem, facinus foedum: o infelice
 p cem adolescentulum,
 O scelestum Parmenonem, qui istum huc ad-
 duxit. Pa. quid est?

Py. Miseret me: itaque, ut ne uiderem, misera huc effugit
 foras.

Quæ futura exempla dicunt in eum indigna? Pa.
 Iupiter,

Quæ illæ turba est? numnam ego perij? adibo. quæ
 istæ Pythias?

Quid ais? in quem exempla fient? Py. rogitas audacissime?

Perdidisti istum, quæ adduxti pro eunucho, adolescentulum
 Dum studes dare uerba nobis. Pa. quid ita? aut quid
 Etum est? cedo.

Py. Dicā. uirginem istam, Thaidi hodie quæ dono data est
 Scin' eā hinc ciuē esse? & eius fratrem apprime nobilitatis?

Pa. Nescio. Py. atqui sic inuenta est: eam iste uitiauit miser
 Ille ubi id rescit factum frater uiolentissimus.

Pa. Quidnam fecit? Py. colligauit primum eum miser
 modis.

Pa. Colligauit? hem. Py. atque equidem orante, ut ne
 faceret, Thaide.

Pa. Q